

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Correctio s cum fonte primo

Plerumque ab eis ammonendis,  
obiurgandis et corripiendis male dissimulatur,  
ne uel eos offendamus  
uel ut eorum inimicicias deuitamus,  
ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus  
quas adipisci adhuc appetit nostra crudelitas,  
siue quas amittere formidat infirmitas.

Augustinus ibidem (libro I. de ciuitate Dei).

Plerumque enim ab eis docendis ac monendis,  
aliquando etiam  
obiurgandis et corripiendis male dissimulatur,  
uel cum laboris piget,  
uel cum os eorum uerecundamur offendere,  
uel cum inimicitias deuitamus,  
ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus,  
siue quas adipisci adhuc adpetit nostra cupiditas,  
siue quas amittere formidat infirmitas,  
ita ut, quamuis bonis malorum uita displiceat  
et ideo cum eis non incidant in illam damnationem,  
quae post hanc uitam talibus praeparatur, tamen,  
quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt,  
dum eos in suis licet leuibus et uenialibus metuunt,  
iure cum eis temporaliter flagellantur,  
quamuis in aeternum minime puniantur,  
iure istam uitam, quando diuinitus adfliguntur cum eis,  
amaram sentiunt, cuius amando dulcedinem  
peccantibus eis amari esse noluerunt.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 1.9  
(CCSL 47, B. Dombart ed., pp.8-9, ll.17-30).